DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA

DE

PROBATIONE CRIMINIS MAGIÆ,

Qvam.

Sub PRÆSIDIO

D. JOHANNIS SCHACKII,

Profess. Publ. Ordin., & Consistorii Regii Assessoris,

die 19. Junii, Anno 1706.

In Auditorio Majori

publicè defendet

MARTINUS von Normann/

Eqves Rugianus.

GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACADEM. TYPOGR.

Inclyto

Eqvestri Ordini Rugiano,

VIRIS

Illustribus, Generosissimis & Maximè

Strenuis,

Dnn. Eqvitibus Rugianis,

Patronis & Evergetis suis

summopere colendis,

hanc Disputationem,

tanqvam primitias studiorum suorum Academicorum,

cum voto omnigenæ felicitatis

offerre voluit

RESPONDENS.

DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA

DE PROBATIONE CRIMINIS MAGIÆ.

CAP. I.

Tractans vocabula Tituli nostri.

§. I.

PRobatio *in genere* significat asserti confirmationem. *In specie* verò ad facta civilia controversa refertur: & qvidem, si in Judicio fiat, describi potest probatio; *qvod sit actus judicialis, qvo per idonea argumenta de facto aliqvo, de qvo in Judicio controversia est, Judici fit fides. Peretz. in tit. C. de probat. n. 2. Umm. disp. 15. th. 1. n. 3.*

§. II.

Probatio vel *plena* est; vel *semiplena*. Plena probatio illa vocatur, qvæ Judici tantam fidem facit, qvanta ad finiendam controversiam sufficit. *Mascard. vol. 1. qv. 4. n. 15.* Hujus species Dd. ponunt, *testes, scripturam, Confessionem, evidentiam facti, Juramentum, præsumtionem justam, famam.* Vid. *Mascard. vol. 1. qv. 4. n. 16. Umm. disp. 15 th. 1. n. 5.* Semiplena probatio illa est, per qvam rei gestæ fides aliqva fit Judici, non tamen tanta, ut jure eam debeat seqvi in sententia dicenda. Qvò referunt *unum testem, privatam scripturam, præsumptionem non ita urgentem.* An autem in crimine magiæ probando,

 bando,

bando, plena vel minus plena probatio haberi poſſit; de eo in ſeqventibus agendum erit.

§. *III.*

Crimen Magiæ refertur inter crimina publica, in qvibus puniendis damnum, qvod per illa Reipublicæ illatum, vindicatur; &, ut hoc vindicetur, ordinariæ & certæ criminales pœnæ legibus publicorum Judiciorum ſtatutæ ſunt. *l. 1. ff. d. publ. jud. l. 3. §. fin. ff. d. prævar.* Dicuntur autem hæc crimina, publica, ratione *cauſæ efficientis* & *finis* à certis qvibusdam legibus, per qvas referuntur inter judicia publica, qvorum perſecutio eſt cujuslibet. Sunt porro vel *capitalia*, vel non *capitalia.* Capitalia in lata ſignificatione ſunt, qvibus eſt pœna capitis naturalis vel civilis. *l. 103. ff. d. V. S. §. 2. Inſt. d. publ. Judic.* in ſtricta verò ſignificatione, *κατ' ἐξοχὴν*, qvibus eſt mortis pœna, ſeu ſangvinis. *l. fin. C. d. bon. proſcr. l. 4. C. d. pœn. l. 1. ff. d. effract.* Sunt & aliæ criminum diſtinctiones, qvas ſtudiosè omittimus, ne prolixi eſſe videamur. Dantur enim *extraordinaria*, *atrocia*, *atrociſſima* & *pernoctata*, de qvibus aliô locô & tempore plura dicenda ſunt.

§. *IV.*

Vox *Magia* in genere idem eſt qvod maleficium, ſortilegium & veneficium, & *eſt tale crimen, qvo qvis adhibitis illicitis artibus, diabolo cooperante, hominibus eorumve bonis nocet, illos deludit, & miraculoſa facere conatur, aut divinandi curioſitatem profitetur. l. 4. l. 5. l. 6. C. de malefic. & mathem. ad t. t. X. d. frigid. & malef. c. 1. & 2. X. d. Sortibus.* Magiæ nomen *olim honorificè uſurpatum fuit*, & ſolis ſacerdotibus tributum. Vid. *Oſiand. de Magia. theſ. 1. §. 4. Gœdelm. d.*

mag.

mag. lib. 1. c. 2. 3. qvinimò olim magiæ vocabulum denotavit qvamcunq; ſcientiam occultam, *Thomaſ. de Crim. Mag. §. 9.*

§. V.

Hoc magiæ crimen duplex eſt. Vel enim eſt *expreſſum* pactum, cum diabolo initum, qvo qvis DEUM abnegavit, & diabolo ſe mancipavit. Vel eſt *tacitum* pactum, qvando qvis citra peculiare ſive expreſſum fœdus, diaboli utitur ope & auxilio: idqve iterum tripliciter contingit, (1) ſi qvis commercium cum ipſo dæmone habendo & artes diabolicas exercendo nocet, (2) ſi qvis ejusmodi artibus non nocet. (3) Si qvis ſuperſtitioſis remediis utitur. *Carpz. qv. 49. & ſeq. Struv. exercit. 49. Th. 60. & ſeq.*

CAP. II.

De Probatione Criminis Magiæ.

§. I.

ANteqvam ad ipſum hujus criminis probationem procedamus, non immeritò qværitur; *an detur tale crimen magiæ ſive veneficii?* Nam per veneficium non modò illud crimen hic intelligimus, cum qvis venenô occidit; ſed & ſi qvis ſacra impia nocturnave incantandi & interficiendi cauſa peragat. *Vid. Anton. Matthæi in comment. ad tit. dig. 47. & 48. pag. m. 504. l. 13. ff. ad L. Cornel. d. ſicar. & venefic.* Et reſpondemus, qvod detur magia. *Vid. Exod. Cap. 20. v. 6. Deuter. Cap. 18. v. 10.* Licet *Johannes Wierus, Medicus, in ſuo tractatu de præſtigiis dæmonum,* docuerit, qvod non

 detur

detur crimen Magiæ dæmoniacæ, prout vulgò concipitur: & in appendice variis apologiis adversus varios censores hanc ipsam sententiam suam defendere satagit. Scripsit qvoqve *Gabriel Naudæus* apologiam pro iis, qvi vulgò magiæ accusati sunt; & multa erudita suppeditavit argumenta, oppugnandi sententiam communem. Ex ipsis scriptoribus Pontificiis modernis *Malebranchius lib. 2. C. ult. d. inqvir. veritate*, in sententiam eorum inclinat, qvi imaginationi historias magicas adscribunt. Præ reliqvis notus est. *Antonius Van Dahle*, Medicus Belgicus, Cujus dissertationes *de oraculis, item de origine & progressu idololatriæ & superstitionum, de vera ac falsa prophetia, & de divinationibus idololatricis Judæorum*, multi æstimat, dicentes qvod majori cum apparatu multos communes errores de diabolo ejusqve effectibus revelaverit. Ex hoc laudato Medico, *Balthasar Beckerus*, Theologus Belgicus, qvàm plurima, qvæ in Tractatu de *mundo fascinato* prodidit, hausisse videtur. Enimverò cum *Balthasar Beckerus* diaboli vim omnem externam in homines, ac prope ipsam substantiam ejus apertè negaret, non potuit non adversariis suis multa contra se arma suppeditare. *Vid. Thom. Thes. inaug. d. crim. mag. §. 3.*

§. II.

Ipse celeberrimus *Dn. Thomasius* de Magia ita docet, qvod qvidem detur diabolus extra hominem; ipsumqve ab *extra*, *intrinsecè* tamen & *invisibiliter* operari in hominibus improbis; sed negat, dari sagas & magos, pacta cum diabolo ineuntes; qvin potius arbitratur,

bitratur, hanc fabulam ex Judaiſmo, Gentiliſmo ac Papiſmo conflatam eſſe, & iniqviſſimo proceſſu hactenus etiam apud Proteſtantes uſitatiſſimo, ſtabilitam. Hæc verò ſententia in ſuis verbis ſe ipſam refutat: dum enim conceditur, diabolum *ab extra, intrinſecè* tamen & *inviſibiliter* operari in hominibus improbis, per conſeqventiam affirmatur, qvod *ab extra* in aſſumpta forma cum illis agat, & qvod dentur ſagæ & magi pacta cum diabolo ineuntes, *Thom. d. l. §. 6.*

§. *III.*

Diſputat porro *Dominus Thomaſius d. l. §. 14. & ſeqq. contra Carpzovium*, qvod non detur magia; & qvidem ad (1) argumentum *Carpzovii*, dicentis, qvod Jure divino magi debeant interfici, ita reſpondet; magos ibidem non puniri propter pactum cum diabolo; ſed propter idololatriam. Verum hæc reſponſio ideo non valet, qvia potius dicendum eſt, qvod magi ibidem puniti fuerint ob pactum cum diabolo, & ſimul ob idololatriam; ſiqvidem & hoc pactum inducat idololatriam. (2) urget *Carpzov. Cap. 7. Exodi*, ubi Pharaonis magi pro talibus habentur, qvi veris præſtigiis alios offendunt. Ad hoc fundamentum reſpondet *Dominus Thomaſius*, qvod magi Pharaonis, dum qvibuscumqve præſtigiis uſi fuerint, nihil fecerint ex pacto cum diabolo; & qvod non tam ob iſtas præſtigias, qvàm ob ſuperſtitionem idololatricam juſſi fuerint à DEO interfici. Sed, nec hæc reſponſio *Dn. Carpzovium* ferit, cum eo ipſo, qvod magi interfecti fuerint ob ſuperſtitionem idololatricam, ſimul ob iſtas præſtigias capitalem luerint pœnam. *Levit. XX. 27.*

 (3) Dicit

(3) Dicit *Dn. Carpzov.* qvod detur magia; qvando nimirum vult; hoc apparere ex ſanctionibus Ethnicorum, pœnas capitales in magos decernentium. Putat ibidem *Dn. Thomaſius*, confundere *Dn. Carpzovium* qvæſtionem de exiſtentia magorum cum diabolo paciſcentium, cum qvæſtione de pœna magiæ naturalis & artificialis. Sed non video hanc confuſionem, cum negari neqveat, Ethnicorum moratiorum rationem tam rectam fuiſſe, ut magiæ naturali nullam capitalem pœnam dictaverint; ſed potius illicitæ & dæmoniacæ. Neqve porro inſimulandus eſt *Dn. Carpzov.* alicujus confuſionis, qvod ſcil. hoc ſuo aſſerto legem naturæ cum moribus qvarundam gentium confuderit; ſiqvidem, qvando ad ſanctiones Ethnicorum provocat, ſimul ad mores gentium reſpicit, qvi legem naturæ pro fundamento agnoſcunt. (4) Utitur *Dn. Carpzov.* argumento ex *Jure civili* ſumpto, qvando ſcil. argumentatur à veneficis ad ſagas; ad qvod ita reſpondet *Dn. Thomaſius*, qvod à veneficis ad ſagas non detur conſeqventia; ſed hæc reſponſio directo ſtat contra *l. 13. ff. ad L. Cornel. d. Sicariis & venefic.* ubi per veneficum non solùm illum intelligimus, qvi veneno occidit; ſed &, qvi magiam dæmoniacam exercet. (5) *Dn. Thomaſius* reprehendit *Dn. Carpzovium*, qvod provocaverit ad teſtimonium ſcriptorum Pontificiorum; ſed non potuit ignotum eſſe *Dn. Thomaſio*, qvod JCti in probandis ſuis hypotheſibus, vel ad ipſum Juris textum, ſi haberi poſſit, vel ad celebriores Dd. ex legibus doctè argumentantes confugiant; ſive illi Doctores ſint Pontificii, ſive non. (6)

Obji-

Objicitur *Dn. Carpzovio*, qvod doceat; qvosdam magos tacitum cum Diabolo habere pactum; qvod ipsum *Dn. Thomasius* sine censura non dimittit, dum negat, homines commercium corporale cum diabolo habere, & ita tacitè DEO renunciare posse. Sed ipse *Thomasius d. l. §. 12.* confitetur, qvod diabolus cum homine in corporali specie pactum inire possit; hinc qvoqve concedere debet, qvod homo corporale commercium cum diabolo in assumpto corpore habere possit, & ita tacitè DEO renunciare. (7) Dicitur à *Dn. Thomasio*, qvod *Dn. Carpzovius* malè inferat à pœna homicidarum & adulterorum ad pœnam Sagarum. Enimverò, qvis magis homicidia perpetrat, qvàm magus, qvi sæpius ope diaboli non unum; sed plures homines occidit; qvinimò qvis magis pro adultero habendus, qvàm magus, qvi sæpius confitetur, se cum diabolo in assumpto suo corpore rem habuisse; licet non negandum sit, qvod hoc ipso homines illudantur, qvorum tamen malignum propositum hoc ipso non corrigitur. (8) Multæ inconvenientiæ *Dn. Carpzovio* affinguntur à *Dn. Thomasio*, ex hoc, qvod ille putaverit, expedire sagis ipsis, ut qvàm citissimè morte puniantur. Nam ad hoc respondetur; non esse mentem *Dn. Carpzov.* ut carnificem pro instrumento ordinario conversionis habere velit, sed id tantummodò innuere vult, qvod plerumqve experientia teste, sagæ & magi non prius à pactis suis cum diabolo initis discedere soleant, qvàm cum pœnam capitalem subire necesse habent. (9) Vult *Dn. Thomasius d. l.* non qvidem in specie contra *Carpzovium*;

sed

ſed in genere crimen magiæ ex hoc principio abnegare, qvod diabolus non poſſit aſſumere corpus; ſed reſpondemus, qvod diabolus ut ſpiritus non qvidem habeat carnem & oſſa; exinde autem non ſeqvitur, qvod non poſſit aſſumere corpus: nam & hodierni Theologi contra *Beckerum* ex textus circumſtantiis ſtrenuè defendunt, qvod diabolus CHRISTUM in aſſumpto corpore tentaverit. Vid. *D. Grapii Diſp. de Tent. Evæ & CHRISTI à Diabolo in aſſumpto corpore facta, Cap. II. per tot.* (10) Cbnegat *Dn. Thomaſius* crimen magiæ ex hac ratione; qvia Diabolus non poteſt turbare potentiam naturæ inviſibilis; ſed reſpondetur, qvod neqve viſibilem, neqve inviſibilem naturam turbet, ſi in aſſumpto corpore pactum cum ſuis aſſeclis ineat. (11) Affert *Dn. Thomaſius* contra magiam hanc rationem, qvod dicat, diabolum eſſe tam impotentem ſpiritum, ut poſſit crepitu ventris ejici; ſed, hæc ratio magis ridicula eſt, qvam ut ſit alicujus ponderis. (12) Putat *Dn. Thomaſius*, qvod neqve ex parte hominum, neqve ex parte diaboli, ullus effectus ant ullus uſus fœderis ſit diabolici cum hominibus; ſed reſpondetur, qvod exparte diaboli hic effectus ſit, ut illudat, & damnum det hominibus; ex parte verò hominum, ut pecuniæ, avaritiæ & ambitionis eò meliores fructus habeant. (13) Rejicit *Dn. Thomaſius* crimen magiæ; qvod leges civiles nihil de pacto diaboli cum hominibus, memorent; ſed remittitur ad *l. 4. C. d. malefic. & mathem.* ubi dicitur, qvod magia ſeveriſſimis legibus vindicanda ſit. Nec obſtat, qvod Imperator in ſeqventibus hujus legis verbis

For pp. 8-26 see beyond the next three leaves -

For the earlier pages of this disputation De probatione criminis magiae see a few leaves back.

verbis illas artes magicas approbet, qvibus homines qvidam, boni alicujus causa, v. gr. ob sanitatem, vel propter ubertatem fructuum, utuntur; siqvidem hæc verba vel de magia naturali; vel de lustrationibus agrorum, qvæ cum publice decantatis litaniis fiebant; vel de solemnibus processionibus intelligenda sint. Vid. *Brunn. ad b. l.* (14) refert *Dn. Thomasius*, qvod nunqvam verum corpus delicti in crimine magiæ adfuerit. Id qvoque à nobis dicitur, siqvidem illud frustrà in hoc crimine occultô reqviratur per tradita. *Farinacii qv. 2. Boceri Cap. 3. n. 4. Tabor vol. 2. pag. m. 404.* Interim tamen confitendum est cum *Dn. Carpzovio, qv. 119. n. 61.* qvod in delictis occultis, & facti transeuntis, ad qvæ pertinet magia, de corpore delicti non aliter constare possit, *qvàm per conjecturas & indicia;* ideoqve in his, scil. delictis occultis, præsumptionem & conjecturalem probationem communiter haberi pro plena & concludenti; (15) docet *Dn. Thomasius d. l.* qvod crimen magiæ ad fabulas pertineat, qvibus Clerus Pontificius decipere solet laicos incautos; sed primum negamus, postremum largiri volumus. (16) Sunt autem præter *Dn. Thomasium* & alii, qvi jam ante ipsum de sagis & magis dubitasse feruntur: Nimirum, *Franciscus Ponzinibius*, JCtus Italus, tum & *Wierus in tract. de præstig. dæmonum*, & *Reginaldus Scotus*, Nobilis Anglus, in libro lingva vernacula edito, sub titulo *detectionis artis magicæ.* Tandem *Balthasar Beckerus*, Theologus Amstelodamensis, Vir in Philosophia corpusculari & mechanica, tum & in mathesi versatissimus, non solùm ex principiis, qvibus imbutus est; sed & ex sacra Scriptura defendere

dere contendit, non verſari diabolum in his terris, & pactum cum ipſo, eſſe mera ludibria phantaſiæ, aut figmentum malitiæ; ſpectra in papatu excogitata fuiſſe ad purgatorii ignes calefaciendos & ſacculos ſacerdotum augendos. Hic liber Balthaſaris Beckeri, qvi inſcribitur *mundus faſcinatus*, cum applauſu, uti fieri ſolet, in defenſione paradoxorum exceptus eſt; ſed putant, hunc doctiſſimum Virum ex principiis ſuæ philoſophiæ, qvam excoluit, in devia abreptum fuiſſe, ita, ut cum abuſum, nimiam ſuperſtitionem & credulitatem taxare debuerit, omnem maluerit rem auferre. Inde tot contradicentes expertus eſt, inter qvos ſunt *P. Poirettus, Jean* van de Weyen/ *Andr. Beverland, Glanvill. in Sadduceiſm. triumph. & plures alii.* De *Wiero*, cujus ſuprà mentionem fecimus, ſciendum, (17) qvod ipſemet *Wierus*, ex cujus libris de præſtigiis, celeberrimus *Dn. Thomaſius* omnes ferme rationes ſuas pro ſtabilienda ſententia ſua contra exiſtentiam magiæ mutuatus eſt, in ſuſpicionem magiæ trahendus ſit: qvemadmodum id ipſum à *Tabore in vol. 2. pag. m. 458. n. 40.* ſex argumentis evincitur. Inter alia, notanda illa ſunt, qvæ *Thuanus lib. 89. hiſtor. p. 174. Anno 1588.* de hoc *Wiero*, nobis reliqvit. *Johannes Wierus, Nobili Zelandiæ inundatæ familiâ ortus, philoſophicis ſtudiis egregiè à pueritia inſtructus, Heinrico Cornelio Agrippæ, homini cumprimis erudito, & magicis ſuperſtitionibus infami, ante 50. annos Gratianopoli apud nos defuncto, operam in pueritia navavit.* Voluit qvidem Cornelium Agrippam à ſuſpicione criminis magiæ liberare, *in lib. 2. de præſtig. cap. 5.* ſed talibus potius argumentis, qvæ ipſum *Wierum*,

Agrippæ

Agrippæ hujus discipulum in eandem suspicionem trahunt. Vid. *Tabor. Vol. 2. pag. m. 458.* Qvinimò sub prætextu relationis & specie detestantis, non tantùm *lib. 5.* & passim; sed etiam in libello particulari *de Pseudomonarchia Dæmonum*, formulas invocandi, & conjurandi familiares spiritus sive diabolos, formaliter docet, ut ita multa magiæ indicia; imprimis autem primum, tertium & qvartum *Constitut. Carolin. Artic. 44.* in ipsum qvadrent. De *Reginaldo*, sive *Reinaldo*, *Scotó*, de qvo suprà qvoq; diximus, & hoc (18) notandum est, qvod magiam diabolicam ex hac ratione (1) negaverit, qvod DEI opera impiè diaboló ab illis tribuantur, qvi lamias esse, statuunt; sed, qvod hoc falsissimum sit, ostenditur apud *Delrionem in disqvis. magic. lib. 2. qv. 11. & Voët. disput. d. natur. & oper. Dæmon. p. 696.* siqvidem ad sagas, ut tempestates excitent, aut productas agitent, non confugiamus; neqve opera DEI illis, aut diabolo tribuamus, qvando asserimus, qvod ope diaboli tale qvid excitare possint. (2) Dicit *Rainoldus*, qvod nec in veteri, nec in novo testamento sagarum mentio fiat; nec ullus à saga læsus, à Christo restitutus sit. Qvod autem ad vetus testamentum attinet, contrarium contra *Reinaldum* evincunt illi, qvi sunt peritissimi hebraicæ lingvæ. Ad alteram autem objectionem ita respondetur, qvod nec podagricum, nec colicum, speciatim & explicatè à CHRISTO sanatum esse, legamus; inde tamen non conficitur, qvod non dentur homines, his morbis laborantes. (3) Statuit *Reinaldus*, qvod diabolus cum sagis pacisci non possit, qvia non habet corpus; sed respondetur, qvod

DEUS dicatur cum homine pacisci; exinde autem non seqvitur, qvod ex parte utriusq; pacifcentis corpus adesse debeat. Deinde potest diabolus ex assumpto corpore jam composito cum sagis pacisci. Vid. *Mauritii dissertat. pag. m. 1073. & 1087. & Hermanni Gœhausens, Professoris Rintbelensis proc. Juridic. contra sagas, qv. 3.*

(19) Prodit qvoq; in hanc scenam *D. Cyprianus Regnerus in censura belgica Instit. Juris ad §. 5. Inst. d. publ. Judic. pag. 690.* ubi per autoritatem *Vinnii* & *Tholosani*, apud Belgas incertum esse, scribit; *an magi vel sagæ dentur?* Verùm hoc dogma à Belgis qvibusdam ex libro *Reginaldi Scoti*, Angli, & athei haustum est; qvod tamen ipse Rex Angliæ, *Jacobus I.* & ex Theologis Anglicanis *Johannes Raynoldus*, atqve *Gvilielmus Perkinsus* solidè refutarunt, & seriò indoluerunt, non ex Anglis tantùm; sed & ex Belgis complures, à pestilento hoc libro infectos, jam, more Saducæorum, de ipsis qvoq; diabolis dubitare, prouti ingenuè profitetur doctissimus *Gisebertus Voëtius, pag. 3. select. disput. pag. 565.* qvi multis Scripturæ sacræ locis impiæ hujus sententiæ immanitatem redarguit, & Belgarum qvorundam affectatam ignorantiam hac in parte detestatus est. Vid. *Tabor. Vol. 2. pag. m. 532.* conferatur illud exemplum, qvod *Anno 1535.* contigit, ubi *Cherubinus de Serafinis*, Sacerdos ordinis Minoritarum seu Francisci, cum sociis fœdus cum diabolo iniit, de necando Pontifice, tum sedente, per imaginem ipsi conformem, & sufficiendo *Asculano* in ejusdem locum. Qvasi in potestate diaboli esset, Papas deponere & imponere sedi petrinæ seu vaticanæ. Vid. *Theatr. Europ. d. Anno 1635.*

1635. pag. m. 387. Sed mittimus (20) ſententias eorum, qvi nullam magiam ſtatuunt, & concludimus, qvod ex Gallia *Bodinus de dæmonologia*, ex Anglia, ipſe Rex *Jacobus I.* ex Belgio, *Delrio*, ex Germanis, *Godelmannus, Thummius*, *Cruſius*, *Fridericus Mindanus*, aliiqve ex ſpecialibus ſuis Tractatibus notiſſimi ſint, qvi communem opinionem de ſagarum exiſtentia defenderunt. Cum autem in præcedentibus, & qvidem *n. 15.* conceſſerimus, qvod Clerus Pontificius crimine magiæ incautos laicos decipere ſoleat; hinc non peccabimus, ſi hic addamus, qvod multi clerici ſe hoc crimine contaminaverint. Etenim ſtatim poſt tria ſecula à morte Salvatoris noſtri, magia ingentia cœperit incrementa, ita, ut *Baronius* ipſe in Anno CHRISTI *392. §. 22.* fateatur, Clerum Pontificium hac qvoqve labe magiæ infectam fuiſſe, & qvosdam per ſigna miraculoſa ſe pro *Elia*, pro *Johanne*, atqve etiam pro *Chriſto*, geſſisſe, variisqve incantationibus ad dementandum populum uſos fuiſſe. Unde Imperatores coacti fuerunt, capitali pœna in ejusmodi maleficos animadvertere, prout ex *Ammiano Marcellino lib. 39. Socrate lib. 4. c. 15. Nicephoro lib. 10. c. 44. & 45.* imò ex ipſa eorum temporum legislatione conſtat, nempe *l. 4. & ſeq. C. d. malefic. & mathemat.* ubi malefici ἐξοχικῶς ob ſceleris magnitudinem ita dicti ſunt. *l. 5. C. h. t.* Qvinimò *Genebrardus lib. 4. Chronolog. ad Annum 902. pag. 807.* in exemplaribus nondum corruptis tradidiſſe legitur, Petri cathedram, ſi qvæ usqvam ejus generis fuerit, per 50. Papas à *Johanne 9.* qvi ſub initium ſeculi X. vixit, ad *Leonem* usqve, per annos 150. magia dæmoniaca

 fœda-

fœdatam fuiſſe. Qvod alii ſic explicant. Pontifices à *Sylveſtro II.* qvi *Anno Chriſti 999.* rebus præfuit, ac ut *Platina pag. 152.* refert, diabolo ſe totum tradidit, *ad Gregorium VII.* usqve, qvi ſellam *Anno 1073.* occupavit, magos fuiſſe. Vid. *Wolfius cent. 15. pag. 988.* Et ſic Eccleſia Romana per annos 175. à magis Clericis gubernata fuit. Vid. *Tabor Vol. 2. pag. 460.*

§. *IV.*

Deſcribitur autem Magia (ſcil. dæmoniaca; nam de hac imprimis in hac noſtra diſputatione) qvod ſit crimen, qvo qvis cum diabolo ſæpe in corporali ſpecie, *vel beſtiæ, vel hominis, vel monſtri, comparente, pactum init, qvod velit, ſi diabolus Ipſius voluntati, avaritiæ aut ambitioni ſatisfaciat, cum diabolo ſcortari, in certo loco, ope diaboli per aëra magos vehentis comparere, ac ibi cum aliis ſimilibus diabolum adorare, tripudiare & luxuriari, ope diaboli hominibus, beſtiis & frugibus, vel tempeſtates excitando, vel alio præternaturali modo damna dare, & poſt certum temporis ſpatium, anima & Corpore diaboli mancipium eſſe, ac in æternum manere. Thom. d. l. §. 12.*

§. *V.*

Magia dividitur in *naturalem* aut *artificialem*, & *dæmoniacam.* De hac nobis ſermo eſt, non de illa; qvamvis *Theophilus Spizelius*, qvi ſcripſit tractatum germanicum, cui titulus die gebrochene Macht der Finſterniß / *p. 1. c. 1. pag. 8.* etiam naturalem magiam ad genera magiæ dæmoniacæ retulerit; licet hoc ipſium ſimplicitati & pietati hujus viri condonandum eſſe, cum *Thomaſ. d. l. §. 10.* dicamus.

§. *VI.* Pro-

§. VI.

Probatur crimen magiæ diabolicæ, ex hoc, si qvis se obtulerit ad hanc magiam docendam, & simul doctrinam suam in discipulo ad effectum perducat.

§. VII.

Probatur crimen magiæ, si qvis alteri minatus fuerit damnum dare per magiam, & damnum illud insecutum fuerit. Sed, vid. §. 20. ubi asseremus, qvod magia non *simpliciter* probetur per damnum post minas illatum.

§. VIII.

Non qvidem probatur crimen magiæ, si qvis cum magis & sagis conversetur; attamen se suspectum reddit, cum socius cognoscatur ex socio.

§. IX.

Crimen magiæ non probatur per externæ pietatis signa; sive enim fucatam, sive veram pietatem aliqvis confiteatur, non tamen exinde justum magiæ indicium potest collogi; aliàs vulgatum illud versiculum;

Omnia cum liceant, non licet esse pium, in usum revocandum esset. Sed multi pii ex hoc fundamento magiæ insimulati fuerunt. Exemplo nobis esse potest *Ludovicus Gotbofredus*, qvem dicunt fuisse virum optimum & valde pium, ac ex sola invidia à Clero per calumniam, ac subornationem falsæ accusatricis fuisse ut magum condemnatum. Fabulam hanc de horrenda magia *Ludovici Gotbofredi*, *Franciscus Rossetus*, inseruit Historicis tragicis sui temporis, & inde ex gallico in Germanicum idioma transtulit.

Marti-

Martinus Zeilerus in den traurigen Mord-Geschichten/ &c. Qvamvis non negandum sit, qvod plerumqve magorum & sagarum hæc sit consvetudo, daß sie unter dem Schein der Gottseeligkeit und Heiligkeit allerley Gottlosigkeit und böses Wesen / so immer zu erdencken / pflegen zu verüben. Vid. *Taboris Opera Vol. 2. p. m. 458.*

§. *X.*

Sola Confessio in hoc crimine non operatur condemnationem. Nam, qvando dicitur, qvod ex sola confessione possit seqvi condemnatio, licet processus retrò nullus sit; & qvod confessio sit sol Judicii; qvinimò qvod nemo contravenire possit propriæ confessioni, tunc hæ Juris regulæ generales intelligendæ sunt de objecto civili, non criminali, vid. *Crus. d. indiciis p. 4. c. 7. n. 26. & seqq.* Vid. *qvoqve §. 26.* hujus nostræ disputationis.

§. *XI.*

Magia non probatur per famam; licet fama omnia à Dd. notata reqvisita habeat; qvinimò nec per se indicium facit, cum, lubrica sit & fallax; sed tantum alia indicia concomitando corroborat. Vid. *Artic. 25. Constit. crim. ibiqve Matth. Stephani.*

§. *XII.*

Magia non probatur per fugam. Hinc rectè *Carpzov. Qv. 120. n. 168. post Gailium, Zangerum, Cothmannum, Bocerum, & Hippolitum de Marsiliis,* asserit, fugam sæpius fieri ex justo timore, vel suspicione vehementi, qvod nimirum aliqvis in vincula conjiciendus sit, vel alio modo vexationes pati debeat.

§. *XIII.* Non

§. XIII.

Non probatur magia, si saga in tortura confiteatur, qvod viderit aliam sagam auf dem Blocks-Berge. Asserit qvidem *Bodinus de dæmonologia, lib. 4. c. 2.* qvod nominatio veneficæ in tortura factæ *plenè* contra alias sagas probet, ita, ut hæ sine ulteriori inqvisitione & tortura ad ignem condemnari possint. Qvod simpliciter non admittit *Joh. Zangerus in tract. de tortura c. 2. n. 194.* qvi tamen putat, qvod ex tali nominatione & confessione contra alias nominatas sagas & lamias possit procedi ad torturam; sed *Berlichius p. 4. concl. 4. n. 113.* ab hac sententia discedit, & distingvit; an saga alias nominet spontè, an verò in tormentis: priori casu esse tantùm indicium ad inqvisitionem; posteriori verò, ad torturam. Enimverò Berlichii sententiam *juxta Artic. 31. constit. crim. Caroli V.* limitamus, si (1) nominatio non fiat ex suggestione, (2) si altera saga possit nominari cum circumstantiis, ubi socia fuerit, (3) si nominatio non fiat ex inimicitia, (4) si nominata aliàs gravata sit. Qvod autem saga sagam viderit in monte Bructerorum, vulgò dem Blocks-Berg / hoc putidum est commentum, & simile fabulis Virgilianis de iis, qvæ in campis Elysiis geruntur. Vid. *Carpzov. qv. 48. n. 22. 23. Alciat. lib. 8. parerg. cap. 22. Wierus lib. 3. de præstig. dæmon. c. 11. Dn. Stryk. de Jur. Sens. in proœm. n. 62. pag. 20. 21.* qvi asserit, qvod confessio sagæ, sive in, sive extra torturam facta; qvod scil. hanc vel illam in monte Bructerorum viderit, si alia deficiant indicia, non sit sufficiens indicium ad inqvisitionem specialem, nedum ad torturam, qvia confitens

ſaga non ſpoteſt rationem ſui dicti reddere ex ſenſu corporeo.

§. XIV.

Magia non probatur, qvando ſaga de alia perſona confitetur, qvod viderit illam eſſe mutatam in lupum, canem, vel felem. Nam omnibus ejusmodi teſtimoniis nulla fides adhibetur, qvia miſera lamia decipitur glaucomate oculis ipſius objecto à Satana. Vid. *Stryk. de Jure Senſ. alleg. loc. n. 52.* Propugnat qvidem *Bodinus* has fabulas inſtar Evangelii, *d. l. lib. 2. c. 6.* ibidemqve abutitur hiſtoria Uxoris Lothi in ſtatuam ſalis à DEO converſæ, *Geneſ. XIX.* ſed à potentia DEI, ad potentiam Diaboli, & ab actibus miraculoſis ad præſtigias dæmonum meris naturæ viribus operantium, non valet conſeqventia. Nec obſtat exemplum Nebuchodonoſoris, *Dan. IV.* nam ille nullo modo in beſtiam transformatus eſt; ſed juxta mentem Interpretum ita tantùm abdicatus fuit ex conſortio hominum, ut forma hominis excepta, nihil à brutis animalibus differret qvoad converſationem & humanæ ſocietatis appetitum. Hinc melius philoſophatur *Auguſtinus de Civit. DEI, Cap. 18.* credens, nec animam, nec corpus qvidem ulla ratione, dæmonum arte, vel poteſtate in membra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti; ſed phantaſiam hominis hìc proram & puppim conſtituere. Nec prudentioribus Medicis ignotus eſſe poteſt morbus ille melancholicus, ab atra fulginoſaqve bile proficiſcens, qvem Lyconthropiam, ſive imaginariam ægri converſionem in lupos vocare ſolent. Vid. *Pauli Ægineti Inſtit. medic. lib. 3. c. 6.*

§. XV. Neq;

§. XV.

Neqve probatur magia, si inqvisitæ lamiæ simpliciter confiteantur, se ipsas cum Satana concubuisse, actusqve venereos exercuisse; siqvidem talis Confessio pro delira habeatur. *Vid. Disput. D. Kleinii, habitam Rostochii, Anno 1698. die 19. Nov. de lamiarum nefando cum Satana concubitu.* Neqve obstat, qvod ex qvorundam opinione, imprimis *Sulpitii Severi*, angeli cum filiabus hominum concubuerint, & inde Gygantes & potentes in terra nati fuerint; cum ex genuina saniorum Theologorum mente per filios DEI, qvorum fit mentio *Genes. VI. 2.* & ad qvem locum qvoq; provocat *Sulpitius Severus*, hic non intelligamus Angelos, sed posteros *Sethi*, ab impiis cainitis hactenus separatos, qvi conjugia cum filiabus cainiticis ineuntes unà cum illis pejores facti, tandem excepto ex sethi posteris Noacho, ad unum omnes per diluvium deleti sunt. *Sed vide §. 27. infrà*, ubi dicitur, qvod lamiæ possint cum Satana habere verum concubitum *qvoad actum coeundi; non verò qvoad actum generandi*, & qvod in priori casu, si confiteantur concubitum verum cum satana *qvoad actum coëundi*, crimen magiæ qvibusdam pro probato habeatur.

§. XVI.

Magia non probatur, si in diffamatis ob magiam, stigmata reperiantur. Habent qvidem *Crusius de indiciis, p. 2. c. 32. n. 40. Berlich. p. 4. Concl. 4. n. 154. Ostermanus in comment. ad l. stigmata. C. d. fabricens. sect 8.* talia stigmata pro indiciis infallibilius; verùm de hoc valde dubitatur, qvia medicamentis & aliis remediis caro captivi mortificari potest. *Vid. Zach. qvæst. medico. legal. lib. 7. tit. 4.*

Qv. 2. n. 15. Et qvia carnifices incantatis ſtylis uti, vel alio modo carnis ſtuporem inducere poſſunt. *Vid Oldekopp. tract. contra Carpz. Qv. 10. decad. 3.* Unde ſatis patet, ſtigmata per ſe, fallacia fundamenta præbere in probando crimine magiæ. Interim admittimus cum *Dn. Strykio de Jure ſens. Diſſ. 7. Cap. 4. n. 14* qvod ejusmodi ſtigmata ſive nævi, omnis tactus ſint expertes, adeò, ut qvamvis acus altè infigatur, nullus inde cruor fluat, tum demum ſuſpectum reddere accuſatum, ſi cum aliis indiciis ſat gravibus concurrant. Qvo tamen in caſu bene monet *Ericus Mauritius Conſil. chilon. 5. n. 3* ut carnifici inqvirenti in talia ſtigmata, vel ſcabini, vel notarius cum teſtibus adſint, diligenter obſervantes, ne qvid fraudis à carnifice admittatur.

§. *XVII.*

Non probatur magia, ſi perſonæ ob magiam diffamatæ, in tortura non poſſint lachrymas effundere. Placent qvidem hæ nugæ *Bernbardo Zieritzio in comment. ad conſtit. crim. artic. 44.* qvod miratur *Ericus Mauritius in diſſert. de denunc. ſagar. p. 63.* ſed *Godelmannus de ſagis lib. 3. Cap. 3. n. 26.* has omnes rejicit; hinc falſò allegatus eſt *à Berichio, p. 4. concl. 4. n. 60. & à Carpzov. Qv. 49. n. 63.* Et negandum non eſt, qvod multæ perſonæ nullas lachrymas effundant in torminibus ex meris effectibus naturalibus. Nam ex mente Medicorum & Phiſicorum illis lachrymæ ſunt copioſiores, qvi habent cerebrum humidum & illis ſunt minores, qvi habent magnam cerebri ſiccitatem, ut in cholericis & melancholicis. Nituntur itaqve illi Dd. meliori fundamento, qvi carentiam lachrymarum, nihil facere docent, ad probandum magiam.

magiam. *Vid. Del-Rio disqvisit. magic. lib. 5. sect. 4. Oldekopp. observat. crim. tit. 4. Obs. 14.*

§. XVIII.

Magia non probatur, si mulieres tortæ omnem doloris sensum amittant. Sunt multi *Dd.* qvi hanc indolentiam dicunt esse præternaturalem. Inde *Berlichius p. 4. Concl. 4. n. 166, & seqq.* Valde sollicitus est in sugerendis cautelis ad rumpendum hoc silentii arcanum. Enim verò hæc omnia (1) corruunt ex eo, si adducantur causæ naturales hujus soporis. Nam plerumqve in numero prætensarum sagarum sunt anus deliræ, cerebelli turbati; qvid mirum igitur, si illæ ob sqvalorem carceris, angorem animi, summos cruciatus, lassitudinem corporis, in extasin, qvasi in profundum somnum incidant. Ex hac ratione damnamus morem nonnullorum carnificum, qvi, anteqvam sagas tormentis imponunt, certam iis portionem contra hunc soporem hauriendam porrigunt. *Vid. Dn. Stryk. de Jur. sens. diss. 6. c. 4. n. 9.* deinde dæmon sua potentia efficere non potest, ut rei, tormentorum acerbitate victi, sua delicta non confiteantur. *Zacch. Qvest. Medico-legales lib. 7. tit. 4. Qv. 2. n. 15.* Et (3) potest hæc somnolentia contingere, qvando non magi; sed etiam fures vel homicidæ torqventur. *Vid. Stryk. d. Jur. sens. pag. m. 437. n. 17. & seqq.*

§. XIX.

Magia non probatur, qvod diffamatæ personæ habuerint parentes Magiæ convictos. Est qvidem commune proverbium: Der Apffel fällt nicht weit vom Stamme; Verùm illud non est universale. Et bene hanc opinionem refutarunt *Mantzius ad Artic. 144. Con-*

ſtit. crim. n. 34. & ſeqq. Del-Rio diſqviſit. mag. lib. 5. ſect. 4. Vid. Bodin. diſput de fallac. indic. mag. pag. m. 35.

§. XX.

Diximus qvidem in §. 7. qvod crimen magiæ probetur, ſi damnum poſt minas illatum ſit; ſed hîc aſſerimus, qvod hoc modo non *ſimpliciter* probetur. Eſt qvidem hoc indicium *in Conſtit. crim. Artic. 44.* fundatum; ſed ritè debet intelligi. Nam damnum poſt minas illatum debet in continenti fieri. *Farinac. de indiciis & tort. lib. 1. tit. 5. Qv. 50. n. 14. Del-Rio lib. 5. ſect. 3.* (2) reqviritur, ut illæ minæ ſint ſpecificæ de eodem, qvod ſeqvitur, delicto. Nam, ſi ſunt ambiguæ, qvæ poſſunt ſignificare vindictam legalem, tunc non præbebunt ſufficiens indicium. *Vid. Del-Rio diſqviſit. mag. lib. 5. ſect. 4.* Et prætereà illæ minæ duobus minimùm teſtibus probari debent. *Vid. Artic. 23. conſtit. crim. ibiqve Matth. Steph. in notis adde l. 9. C. d. teſt.*

§. XXI.

Magia non probatur per draconem volantem, & alicujus caminum petentem. Eſt enim hic volans draco nil aliud, qvàm materia ſulphurea & nitroſa, conglobata & ardens, qvæ propter celerem motum in aere vagatur, & à varia particularum textura & ab externa figura, modò ignis fatuus, modò draco volans vocatur. Et qvando vulgus, qvi cauſas hujus rei ignorat, fortè videt, talem draconem caminum alicujus petere, tunc putat, qvod diabolus ſuis ſociis res furto ablatas afferat. *Vid. Bodini diſput. de fall. indic. mag. p. m. 37.*

§. XXII.

Magia non probatur per probam aqvæ frigidæ. Suſci-

Suscipiunt qvidem hujus probæ patrocinium, *Crusius de indic. p. 2. c. 32. Et Jacobus, Rex Angliæ in sua dæmonologia. lib. 3. c. 6.* Verùm hoc patrocinium satis superstitiosum est, cum ex natura gravium corporum sufficientes rationes dari possint, ob qvas hæc merguntur; & ex natura levium corporum, ob qvas hæc supernatant. Hinc meritò hanc probam aqvæ frigidæ tanqvam rem superstitiosam rejiciunt. *Del-Rio disqvisit. mag. lib. 4. Qv. 5. sect. 3. Jus. can. can. manna. c. 2. Qv. 5. c. 8. X. de purgat. Can. Godelm. de Sagis. lib 3. c. 14. Heigius Qv. 39. n. 61. Vid. qvoqve Taboris opera Vol. 2. p. 416. §. 3.* ubi probatio criminis magiæ per aqvam frigidam rejicitur.

§. *XXIII.*

Magia non probatur per fabulosas sagarum denunciationes, stulta & impossibilia interdum continentes; siqvidem ejusmodi denunciationes planè damnentur, per *Can. 12.* (qvi tamen canon pro supposititio habetur. *Vid. Tab. Vol. 2. pag. m. 515.*) *c. 26. Qv. 5. c. 18. Caus. 2. Qv. 1.* Nec unius sagæ denunciatio habilitatur per alterius sagæ denunciationem; imprimis, si non certam & verosimilem denunciationis & scientiæ causam (sine qva aliàs in criminalibus testi nihil creditur per *l. 13. & 14. in fin. ff. d. interrogat. action. l. ob. carmen §. 1. ff. d. test. Cap. qvia verosimile X. de præsumpt.*) sed fallacem erroneam & dubitativam reddant. *Vid. Godelm. in tr. de sagis. lib. 2. c. 4. Gilb. in arbor. sua crim. Cap. 2. tit. 17. n. 14. Tabor Vol. 2. pag. m. 372.*

§. *XXIV.*

Non probatur magia per confessiones sagarum, qvod fuerint cum aliis, in choreis; siqvidem choreæ lamiarum

miarum à multis viris doctis pro imaginarus & elusionibus Satanicis hebeantur *Alciat. lib. 8. parerg. Cap. 22. Cothm. lib. 1. conf. 12. n. 229. n. 263. Klock. lib. 3. conf. 195. n. 41. & seqq. c. 12. conf. 26. qv. 5.* qvamvis *Klock. lib. 3. conf. 195. n. 119. & seqq. & Tabor vol. 2. pag. 459. pag. 503. & 504. 527.* tradant, qvod non omnes choreæ imaginariæ sint; cum & experientia veritatem earum condoceat *apud Remig. lib. 1. de dæmonolatr. c. 14. 24. & 29. itemqve lib. 3. c. 12.* Et multis rationibus atqve authoritatibus illam comprobat *Bensfeld p. 1. de confess. magor. concl. 12. 13. fol. 250. & seqq.* Etenim Satanas, non qvidem miracula; sed mira tamen atqve mirabilia permittente DEO efficere possit. *Vid. Tabor. Vol. 2. pag. m. 410.* Amiserunt enim dæmones tantum dona gratiæ, manserunt autem integri in potentia naturali, *si Bensfeldio & Del-Rioni in conf. 195. n. 122. apud Klock. vol. 3.* credere velimus. *Vide tamen ex nostris, Ecclesiæ Evangelicæ Theologum celeberrimum, Dn. Calovium, in systems. loc. Theolog. tomo. 4. pag. 328. vers. qvoad potentiam.* Ubi dicit qvod diabolus potentiæ divinæ & potentiæ bonorum angelorum cedere debeat, qvam sententiam & nostram facimus. Qvinimo, qvia diabolo non impossibile fuit, creatorem cœli & terræ in pinnaculum templi, & super montem portare, ideò nec ipsi impossibile est lamias ad has choreas verè & realiter & non imaginariò deferre. *Vid. Tract. tomo XI. part. 2. pag. 353. n. 40. & seqq. & ex Stryck. d. Jur. sens. in prochem. n. 61. & seqq. pag. m. 20. 21.*

§. XXV.

Magia non probatur, qvando aliqvis vendit animal cum

pollici-

pollicitatione futuræ felicitatis, cum illud animal possit esse naturale. *Vid. Stryk. de Jure sens. in procem. n. 68. 69. pag. m. 23. & 24.*

§. XXVI.

Magia non probatur, qvando saga de alia saga confitetur; qvia confitens saga non potest rationem sui dicti reddere ex sensu corporeo; rationis ratio hæc est. Si testi honesto, nulla delictorum macula contaminato, & de alio deponenti, nulla fides habetur, nisi dicti sui rationem reddat ex sensu corporeo, per *l. 20. §. pen. ff. qvi testam. facere poss. Carpzov. Qv. 121. n. 17. Zanger. d. qvestion. & tort. c. 2. n. 20.* multò minus sagæ, de innocente femina confitenti fidem habemus. Deinde saga est persona infamis, cui tanqvam infami testi non creditur. *l. 3. §. 5. & l. 20. ff. d. test.* adeò, ut Judex testem infamem ex officio repellere teneatur. *Mascardus de probat. vol. 3. concl. 1356. n. 11. & seq. Nicol. Everh. de test. & attest. Cap. 2. membr. 1. n. 259. & seqq. Vid.* qvoqve §. 10. suprà.

§. XXVII.

Sed magia à qvibusdam pro probata habetur, qvando lamiæ confitentur, qvod satanas cum ipsis actum venereum verè exercuerit; ex qvo tamen vero Satanæ cum lamiis coitu, vera proles humana non potest nasci. *Vid. disput. D. Kleinii Anno 1698. die 19. Nov. Rostochii habitam, de lamiarum nefando cum Satana coitu.* Qvando autem dicimus, qvod cum lamiis diabolus verum concubitum habere possit, tunc illum intelligimus *qvoad actum coëundi, & in oppositione ad illusorium & imaginarium concubitum, non verò qvoad effectum generandi veram sobolem humanam: Vid. d. disp. n. 7. Cap. 1.* Potest enim diabolus adscititio corpore lamiis incubare, & qvoad coëundi actum proci concumbentis officio actualiter defungi. *ibid n. 9.* qvam communem Theologorum, JCtorum, & saniorum Philosophorum sententiam esse, volunt. *ibid. n. 10.* Qvod autem ex tali coitu vera proles humana non nascatur, hoc inde probatur, qvia ex constanti

ſtanti Medicorum aſſerto, ſemen illud verile, qvod vel minimâ horâ extra teſticulos vel uterum divertitur, ſtatim omnem vim genitalem amittit, evaneſcente è veſtigio calore, exſtinctôqve geniali ſpiritu. *Vid. d. diſp. cap. 2. n. 41.* Jam verò diabolus, qvi ipſemet nullum ſemen habet, abutitur in execrando hoc congreſſu, tali ſemine, qvod fortean nocturnis polluitionibus ejaculatum excepit, ergo ex tali coitu non poteſt vera proles humana naſci. *Vid. d. diſp. cap. 2. n. 37. & ſeqq.* cui accedit qvod ſenſus frigiditatis, qvam in ſemine à diabolo lamiis immiſſo, hæ ſentiunt, argumento ſit, ſemen hoc non eſſe prolificum. *ibid. n. 62.* Et hæc ſufficiant de probatione criminis magiæ. Si qvæ inveniantur in hac diſputatione minus rectè poſita & deciſa, illa benevolus lector in mitiorem partem interpretetur; qvinimò, ſi ex aliis rationibus alicujus Autoris ſententiam reprobaverim, mihi hoc nemo vitio vertet, cum nihil fermè freqventius ſit in indaganda veritate qvàm interdum diſcedere à ſententia alicujus probati autoris & noſtram tueri; modò id fiat modeſtè, & ſine famæ læſione. Id qvod cum me obſervaſſe putem, facilem aſſenſum in reliqvis me meriturum eſſe, confido.

